

138

occupet, alius negat, ille affirmat, et uterque suos adjutere-
advocat, et quandoque integrae sociates offenduntur ad in-
vicem. Vidi in talibus contentionibus peregrinos gladiis et
pugionibus evaginatis contra se insurgere, et horribili seditione
conclamare. Si in tali seditione scriptor galæa descendisset,
cui interest, cumbas aequaliter dividere, a peregrinis dilania-
tus fuisset. Litigio illo sedato vel non existente, aliqui tardius
se dormitum ponunt et luminibus suis, ac locutionibus diutius
protractis aliis molesti sunt. Vidi quod aliqui impatientes
peregrini cum urinalibus suis jactabant contra lumina ardentia
ad extinguendum et tunc iterum excitabantur magna litigia.
Aliqui omnibus luminibus extinctis incipiunt cum suis collate-
rabilibus expedire casus mundi, et protrahunt quandoque
usque ad noctis medium, et dum ab aliquo corripiuntur, ut
taceant, amplius clamant, et nova litigia inchoant; et nisi aliqui
virtuosi et maturi adessent, qui litigantes compescerent, nun-
quam nox cum quiete transiret, praecipue quando ibi sunt
ebriosi Flamingi. Sunt praeter jam dicta plura impedimenta
quietis et dormitionis. Religiosi qui solitarii in suis cellulis
consueverunt dormire, difficulter in navi quiescere possunt
propter collaterales inquietos et stertitantes. Multis noctibus
fui, quod nunquam clausi oculum. Insuper artitudo cumbæ
lectuli et duritia cervicalium causat inquietudinem. Vix potest
se peregrinus movere sine contactu collateralis; locus etiam
est clausus et calidissimus ac grossis vaporibus ac diversis
plenus. Et ideo necesse est continue (53A) sudare, quod
plurimum inquietat: pulices pro tempore sunt ibi infiniti, pediculi
sine numero, mures et glires. Aliquotiens et quasi singulis
noctibus silenter surrexi et ascendi sursum ad aërem et vide-
batur mihi, quod de squalido carcere ereptus essem. Quietem
etiam impediunt somnus inquietus et stertitatio et locutio
quorundam in somnis, et gemitus, infirmorum tussitationes
excaciones. Fui in quadam galæa per aliquod tempus, in
qua stabant equi et muli super nos: qui suis pedibus in asse-
ribus continue strepitum habebant, per totam noctem et diem.
Cursus etiam galeotarum superius, et maris sonitus, et alia
multa dormitionem peregrini quietam tollunt; et tantum de illo.

